
[redacted]
Ignazio Cavoccio

PLANTARUM
VARII INDICES
AD USUM
DEMONSTRATIONUM
Quæ in Bononiensis Archigymnasii Publico Horto quotannis habentur.

Iis præfixa est Dissertatio ibidem habita Anno MDCCXXIII. ad easdem Demonstrationes auspicandas.

AMPLISSIMO EXCELSOQUE STUDIORUM
ALMÆ MATRIS SENATUI
D. D. D.

JOSEPH MONTI
Philos. Doct. Botan. Profess. Horti Publ. Præfect. in Scient. Instit. Natur. Histor. ejusdemque Academ. Soc. Ord.



BONONIÆ STUDIORUM MDCCXXIV.
Apud Constantinum Pisarri ad S. MICHAELIS Insignia.
SUPERIORUM PERMISSU.

AMPLISSIMIS ATQUE EXCELSIS
BONONIÆ STUDIORUM
QUINQUAGINTA PATRIBUS
SENATORIBUS CONSULTISSIMIS
ÆQUE AC PRÆSTANTISSIMIS

JOSEPH MONTI
Perennem felicitatem precatur.



Uod olim, Amplissimi Excelsique Patres, inter Humanæ Vitæ præcepta, Cedro digna, contra beneficiorum immemores, & ingratos Periander promulgavit, eos nempe, tanquam perniciosa monstra, procul ab urbe, civiumque cętu repellendos esse, in me quidem velut prolatum existimarem, nisi post summa beneficia, quibus, pro Vestra singulari humanitate, superioribus annis me cumulavistis, grati animi erga Vos mei tenue aliquod argumentum in apertum retulissem. Iamdudum, ut hoc molirer versabam animo; verum plurimis semper districtus curis, nec

id efficere valui, nec, ſi maxime valuiſſem, aliquid prę manibus fuit, quod inclytis nominibus Veſtris inſcribi, atque offeri promereretur. At vero ecquis Veſtra erga me merita memoria repetens ex tenuitate mea aliquid depromi poſſe cenſebit ſummæ Veſtræ munificentiæ reſpondens? Nullus plane. Quod igitur nec quidem modo valeo, nec fortaſſis unquam pro meritis valebo, qualecumque hoc opuſculum Vobis nuncupando, nimis fidenter mihi tribuiſſe certo ſcio. Verum cum haud me præteriret, quali humanitate, quantoque amore, ſtudio, benevolentia quæcunque literarum genera fueritis proſecuti, ad credendum impellebar, fore ut levidenſe hoc munuſculum non reſpueretis. Hac de re in illuſtrem Veſtram clientelam ipſum edere minime veritus fui, præſertim, cum vel ex hoc ipſo judicaturos Vos ſperem, quid ad ſtudioſorum commune commodum utilitatemque, quo nihil antiquius Vobis eſt, ego ipſe contulerim, & quam præclare non ſolum ceteris liberalibus diſciplinis, ſed huic etiam Botanices ſtudio Vos ipſi, omni tempore, conſulueritis. Idcirco quæ animo ad majora prompto, Patriæ Patres Præſtantiſſimi, Vobis deferuntur excipite, atque ea, qua ſoletis, humanitate ſtudiis meis favere pergite, ut, non tantum Veſtrorum erga me meritorum, ſed animi mei erga Vos devinctiſſimi potiora deinceps promam monumenta.

DISSERTATIO
REI HERBARIÆ
NEC NON
HORTI PUBLICI BONONIENSIS
HISTORIAM
PRÆCIPUE COMPLECTENS,

Habita Anno MDCCXXIII. ad Plantarum Demonſtrationes auſpicandas.





Nno proxime ſuperiore, dum ad Vos, ſpectatiſſimi adoleſcentes, mearum demonſtrationum initio, ab hoc loco verba facerem, Herbariæ artis præſtantiam, emolumentum, atque neceſſitatem multis, ac variis argumentis probare conatus ſum. Quæ cum animis adhuc Veſtris infixa eſſe mihi perſuaſerim, non fuit cur poſtmodum in iis repetendis moleſtiam Vobis afferrem, quin potius hodierni ſermonis materiam ex quibuſdam aliis ſcitu dignis, atque jucundis deducendam mihi eſſe exiſtimavi. Inter hæc vero cum jucundiſſima eſſe ſoleat tradendæ facultatis Hiſtoria, quod ea, ut inquit Tullius (*a*) ſit *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *& nuncia vetuſtatis*; hinc antequam conſuetas exordirer Plantarum Demonſtrationes, eam exponendam mihi propoſui, ut qualia fuerint hujuſce diſciplinæ primordia, qualia incrementa in hac potiſſimum Urbe ſuſcepta, facili negotio intelligeretis. Cum autem compertum mihi ſit, non meos

(a) *de Oration. lib.* 2.

duntaxat concives, ſed ex pleriſque exteris nationibus adoleſcentes ſtudiorum cauſsa in hunc locum fortaſſe confluxiſſe, propterea non alienum putavi, hujuſmodi facultatis, non in noſtra tantum Bononia, ſed in ceteris quoque Academiis ortum, progreſſus, & fata enumerare. Neque celebres in hac arte Profeſſores, ſive prægreſſos jam, ſive adhuc clareſcentes, Medicoſque Hortos, horumque ſtatum, atque vetuſtatem prætermittam; cum hæc ſingula quam plurimum faciant ad ejus, quæ traditur, doctrinæ cognitionem, atque complementum. Hæc vero omnia ſi conſequi quidem potero, ut per me Vobis explanata fiant, & undiquaque perſpecta, non dubito, quin in poſterum omni Veſtra opera, omni ſtudio, atque ſedulitate, in præclariſſimæ hujus facultatis acquiſitione contendatis.

Botanicæ diſciplinæ originem, atque vetuſtatem inquirenti principio occurrunt primęva illa tempora, in quibus Græci Scriptores *Hippocrates*, nempe, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Dioſcorides*, *Aegineta*, *Galenus*, *ac* ceteri floruerunt, ex quorum operibus Herbarum ſtudium exordia cepiſſe pleriſque compertum eſt. Horum autem exemplo non pauci Latini, inter quos *Terrentius Varro* præ ceteris, *Cornelius Celſus*, *Antonius Muſa*, *Columella*, *Plinius*, ac alii Rei Herbariæ notitiam illuſtrare, atque augere proſecuti ſunt. Verum eo Imperii Romani tempore, quo barbarorum incurſiones Europam ferme totam occuparunt, adeo hujuſcemodi ſcientia neglecta fuit, ut penitus ferme oblita, atque extincta videretur. Attamen quod in noſtris regionibus negligebatur apud orientales populos coli cepit, atque amplificari, & inter hos plurimi Arabes, ſcilicet *Avicenna*, *Averrhoes*, *Serapio*, *Meſues*, ac ceteri præſtantes fuere, ex quorum commentariis Botanices ſtudium non parum

in-

incrementi adeptum eſt. Ceterum Europei ipſi Herbarum Doctrinam maxime prӕteribant, & fortaſſe in hanc uſque diem pro nihilo ab ipſis haberetur, niſi Nobiliſſimus ille Bononienſis Patritius *Petrus Creſcentius*, circa annum 1200, egregio ſcripto *De Agriculturӕ partibus, atque Plantarum natura* hanc ſcientiam diu neglectam a barbarorum contemptu paulatim eripuiſſet. Verum ne id meo in Patriam amori tribuatur, quo concivi noſtro reſtitutӕ Botanices gloriam deferri velim, teſtem affero Clariſs. olim in Batavia Botanices Profeſſorem Petrum Hotton, qui hӕc memoriӕ tradidit. (*a*) *Ita quidem jacuit Botanicum ſtudium, ut vix ullus mihi animo obverſetur, qui aliquid memoratu dignum de Plantis literis mandaverit, prӕter unum Petrum Creſcentium, qui decreſcente jam barbarie, bene de Re Herbaria meruit.* Verum in Europa poſt Creſcentium magis ac magis diſcuſſis ignorantiӕ tenebris ſtirpium cognitio a *Matthӕo Sylvatico*, *ab Arnaldo de Villanova*, *a Joanne Cuba*, ac ceteris non parum adaucta eſt. Id prӕcipue evenit ad ſeculi decimi quincti exordium, in quo Ars hӕc prӕſtantiſſima maxime illuſtrata, ac locupletata fuit per duos Italiӕ ſcriptores *Hermolaum* nempe *Barbarum Venetum*, & *Lucam Ghinum Bononienſem*. Hi adnotante prӕfato Hottono (*b*) *omnium primi in Re Herbaria famam ſibi adepti fuerunt*, & horum imitatione ceteri Botanices optime meriti, uti *Lonicerus*, *Cordus*, *Ruellius*, *Turnerus*, *Fuchſius*, *Geſnerus*, *Tragus*, aliique plures excelluerunt. Ceterum minime ignorandum eſt, prӕſtantem concivem noſtrum Lucam Ghinum primum fuiſſe, qui *Botanicam Profeſſionem inter alias medicas cathedras claſſicam fecerit, atque publicos, & ſcholaſticos Hortos in Italia fundaverit ad oſtenſionem, ſcilicet, ſimplicium ſtudioſis faciendam*. Ex hiſce, aliiſque verbis concivis no-

(a) *Serm. Acad.* 21.

(b) *Serm. Acad.* 27.

(a) *Bot. Bibl. 59.* ſtri eruditiſſimi Ovidii Montalbani (*a*) perſpectum unicuique eſt, Lucam Ghinum famigeratiſſimi noſtri *Ulyſſis Aldrovandi*, nec non *Aloyſii Anguillaræ* præceptorem fuiſſe, *cum hos edocuerit in Re Herbaria tum in Bononienſi Horto, tum in illo Patavii conſito* (*b*). Præterea his accedit eundem Ghinum, *Marantam*, *Mathiolum*, & *Cæſalpinum* (*c*) ſcholæ Peripateticæ principem, æque, ac Botanices eximium decus, pro diſcipulis habuiſſe. Porro cum de Botanicis Viridariis mentio inciderit, ne a propoſito deflectam, e re futurum exiſtimo, ipſorum originem, atque conſtitutionem obiter enarraſſe. Si fides pleriſque ſcriptoribus habenda eſt, ut eſt maxime habenda, qui in Hortorum Hiſtoriam jam pridem ſedulo inquiſiverunt, procul dubio Italiæ Publica Academica Viridaria ſibi primatus honorem expoſtulare fatendum erit. Etenim, præ ceteris, Venetus Senatus munificentia, & cujuſdam Franciſci Bonafidii ſuaſu, Medicinalium Herbarum Hortus Patavii erectus eſt. Hic in illius Urbis Gymnaſio Simplicium Lector publicus creatus anno 1533 (*d*), ut ſuis in Re Herbaria alumnis virentes Plantas oſtenderet, neceſſitatem hujuſmodi Hortum conſtruendi Senatui ſignificavit. Quare voti compos factus anno 1540. ſimplicium demonſtrationem in eodem Horto primum auſpicatus eſt. Plures vero alii poſt Bonafidium Botanices Profeſſores præſtantiſſimi in Patavino Lyceo excelluerunt. Horum nomina, perenni memoria digna, ſunt *Mundella*, *Anguillara*, *Guillandinus*, *Cortuſus*, *Proſper Alpinus*, *Prævotius*, *Alpinus Alpini*, *Veslingius*, *a Turre*, *Viali*, atque noviſſime electus *D. Pontedera*, qui quorumlibet prædeceſſorum ſuorum gloriam non tantum aſſequi, verum etiam antecellere omni ſtudio conatur. Porro ad Reipublicæ Venetæ exemplum, Magnus quoque Coſmus Medices Dux Etru-

(b) *Mont. Bibl. Bot. 59.*

(c) *Tour. Iſag. 32.*

(d) *Tourn. Iſag. 44.*

Etruriæ, ſeptenio tantum elapſo, Piſis inſtrui voluit alterum Botanicum Viridiarium in quo Botanici primum munus concreditum fuit, notante Caſtello (*a*), Vigna (*b*) & Rolfincio (*c*) concivi noſtro *Lucæ Ghino*. Huic poſtea ipſius diſcipulus *Cęſalpinus* ſuffectus fuit, cui deinde *Thomas Meſman*, *Baldellius*, *Camillus Chriſtophori*, *Roverzzanius*, *Cornachini Marcus*, & *Horatius fratres*, *Conſtantinus*, & *Dominicus Vigna Pater*, & *Filius*, *Thomas Bellucius*, *Petrus Nati*, atque Clariſs. omnigena literaria, & Botanica eruditione ornatus *D. Michael Angelus Tilli*, cujus ſedula opera, ad præſens, adeo exoticis plantis inſtructus eſt Hortus Piſanus quantum, nullo quidem tempore, ceteri in tota Italia Celeberrimi fuerunt locupletati. Atque, ex eo tempore, non pauci per Europam Botanici Horti vireſcere ceperunt; verum antequam ex Italia diſcedam non prætereundus eſt Romanus ille, qui, ut ex Michaelis Mercati vita (*d*) colligi poteſt ante annum 1560. in Vaticano fuerat excitatus. Huic præfuit ipſe præclariſſimus *Mercati*, poſt quem *Andreas Baccius*, *Caſtor Durantes*, *Joannes Faber*, *Petrus Caſtellus*, atque alii, inter quos præcipue claruit concivis noſter *D. Joann. Baptiſta Triumfetti*, cujus, ob plura Botanica edita monumenta, apud poſteros perpetua erit memoria. Porro iſti, elapſis annis vita functo, ſubrogatus fuit Clariſs. *D. Petrus Aſſaltus* Vir doctrina ac eruditione ſumma præditus, cum in Re Herbaria, tum in omni Naturali, & Medica Hiſtoria. Cum vero de Italiæ Hortis mihi ſit ſermo, tacita non præteribo *Meſſanenſe Viridarium a Petro Caſtello* conſtitutum, nec non *Hortum Catholicum*, qui Panormi olim a *Patre Franciſco Cupano* excolebatur, & in præſenti a *D. Antonio Bonnano*, cujus ſolertia factum eſt, ut exoptatiſſimum opus poſthumum ejuſdem Cupani, inte-

(a) *Hort. Meſs. Ep. ad Lect.* 4.
(b) *Animadv. in Theoph. præfat.* 2.
(c) *de Veget.* 136.
(d) *Metall. Vat.* XXII. & *Petr. Caſtell. H. Meſs. Epiſt. ad Lect.* 4.

gram ferme Siciliæ Historiam Naturalem complectens, quam primum præstolemur. Ineunte vero Anno 1570. Galliarum Rex, omnium disciplinarum ac artium summus Mecenas, Botanicorum studiis consulvit publico Horto Parisiis erecto, in quo claruerunt Rei Herbariæ fulgidissima lumina *Robinus*, *Brossæus*, *Vallot*, *Jonquet*, *Fagonius*, *Armandus*, *Tournefort*, ac novissimus *D. Jessieu*, per quem quantum Herbarum disciplina in Gallia per hos dies proficiat, testantur ejusdem Clarifs. Viri scripta, quæ cum publico communicavit. Monspelii quoque, decimo quincto exeunte seculo, ejusdem Galliarum Regis liberalitate floruit alter publicus Hortus, assignato Professoris Botanici munere *Petro*, & *Joanni de Belleval*, deinde *Chycoineau*, & postremum *Magnolio* eruditissimo scriptori, & Rei Herbariæ egregio promotori. Atque, his felicibus temporibus, Batavi non secus publicos Botanicos Hortos alere constituerunt, quorum unus sub exordium anni 1580. in præclarissima Leydensi Academia insigniter exornatus, curantibus amplissimi ejusdem Lugduno-Batavæ Urbis consulibus, conspici cepit. Quod postea quam auctum, quamque insignitum jam inde ad hanc usque ætatem fuerit a solertissimis æque ac doctissimis ejusdem Academiæ Professoribus Botanicis *Bontio*, nempe, *Clutio*, *Palludano*, *Clusio*, *VVorstio*, Aldrovandi nostri discipulo (*a*) *Scuylio*, *Sien*, *Hermanno*, *Hottono*, atque novissime a Præclarifs. *D. Boerhaave* vix est, ut verbis assequamur. Dictorum enim Professorum summa cura, assiduaque diligentia factum est, ut jam Lugduno-Batavus Hortus quibuscunque aliis antehabendus sit. Nam, ut ex elucubratissimo ipsius indice nuper typis excusso cura Clarifs. atque nostri ævi sapientissimi Viri D. Boerhaave colligitur, Plantarum ultra sex millia complectitur, cum alias, Caroli Clusii in

(a) *Boerh. Ind. H. Hort.* 27.

in Re Herbaria versatissimi temporibus, vix in eodem Horto octingentæ excolerentur (*a*). Nimius essem si quotquot per Europam floruerunt Hortos, ipsorumque Professores singillatim recenserem. Præstat igitur leviter attigisse Amstelodamum celeberrimum emporium, *Clariss. D. Casparo Commelino* curante, utriusque Indiæ Plantas ubertim adferri. Hic Senatoris *Joannis Commelini* patrui, & antecessoris sui vestigiis insistens, præ omnibus Rei Herbariæ studium, præsertim vero quod exoticas stirpes spectat, assidue illustrat; dum interea insignis Anatomicus *Ruyschius* Stirpium Officinalium curam gerens, earum nomina, atque facultates vernaculo sermone Pharmacopolis, aliisque latine nescientibus bis in hebdomada declarat. Neque Oxonium in Anglia publico destituitur viridario, in quo jam dudum excelluere Clariss. Viri *Morisonus*, & *Bobart* perillustris illius Academiæ decora. Quin permultæ aliæ non desunt Civitates suis instructæ Hortis, quorum nomina ad aures jam appulere Botanicorum per eorundem *Catalogos* typis evulgatos: hujusmodi sunt *Horti Argentinensis*, *Altdorfini*, *Basilensis*, *Blesensis*, *Edinburgensis*, *Groningensis*, *Jenensis*, *Lipsiensis*, *Lovaniensis*, *Norimbergensis*, *VVarsaviensis*, & *Uratislaviensis* a doctis viris conscripti, quorum recensioni brevitatis gratia supersedeo. Verum silentio minime sunt prætereundi scriptores illi, qui quanquam Botanici munus publice non obiverint, nihilominus provinciam hanc in immensum ferme ampliaverunt. Inter Italos præcipue memorandi sunt *Mathiolus*, *Columna*, *Imperatus*, *Bocconus*; in Gallis *Dalechampius*, *Cornutus*, *Barrelierus*, *Plumerius*, *Garidellus*; in Hispanis *Lacuna*, *Monardes*, & *Hernandez*; ex Germanis *Cordus*, *Gesnerus*, *Fuchsius*, *Tragus*, *Camerarius*, *Tabernamontanus*, *Joannes*, & *Casp. Bauhini*, *Clariss. Rivini*, *Celebratiss. fra-*

(a) *Boerh. Ind. alt. in Hist. Hort. 27.*

tres

tres Joann. & *Jacobus Scheuchzeri*, & *Doctiss. Dillenius*; inter Prussicos *Loselius*, *Godsched*, *Jacobus Breynius*, ac *famigeratissimus Joann. ejusdem filius*, *nec non Helvingus*; inter Belgas *Lobelius*; inter Anglos *Turnerus*, *Parkinsonus*, *Gerardus*, *Rajus*, *Pluknetius*, *Petiverius*, *Clariss. Sloane*, atque quarumcunque nationum Botanicorum princeps *Celeberrimus D. Sherard*. Quid plura? Herbariæ Rei Scriptorum nomina, quorum existunt monumenta, octingentesimum numerum excedunt, quos quidem omnes huc afferre, cum nec institutum meum patiatur, nec per tempus liceat, cogor vel invitus prætermittere.

Enarratis porro Herbariæ Doctrinæ fatis, & Historia, quibus in singulis propemodum Europæ Academiis incrementa suscepit, superest, ut ea Vobis recenseam, quæ ad hujusce Bononiensis Archigymnasii Medici Horti, ejusque Professorum notionem rite percipiendam attinent, quæ quo magis neglecta a scriptoribus inveni, eo curiosius inquirere rationi consentaneum existimavi. Quum vero hæc a suis inde primordiis repetenda sint, in memoriam revocetis velim, quod superius de duobus concivibus nostris *Petro Crescentio*, & *Luca Ghino* memoravi, quorum prior, ut percepistis, tanquam primus habendus est, qui post barbarorum incursiones aliquod, effatu dignum, de plantis literis mandaverit. Hac de caussa quantum hic contulerit primis illis temporibus ad Academiæ Bononiensis gloriam, nec Vos quidem, nec me præterit. Alter vero quantæ æstimationis huic nostræ Patriæ fuerit, quantique Rei Herbariæ emolumenti, a me superius actum est, dum referrem, ipsum extitisse primum, *qui Botanicam Professionem Classicam fecerit*, *atque Academicos Hortos in Italia fundaverit* (*a*). Hisce igitur stantibus, quis non putabit, Bononienses ex pri-

(a) *Montalb. loc. supracit.*

primis fuisse, qui publicum Medicum Viridarium construxerunt? Proculdubio, qui penitus non ignorat elapsorum temporum Historiam fateri cogitur, Bononienses, tum de Horti antiquitate, tum de Botanicorum Professorum præstantia posse cum quibuscunque merito disputare. Siquidem, ut ex Historiis hujus Civitatis colligitur, Lucas Ghinus Botanices creatus fuit Professor in Archigymnasio Bononiensi Anno 1527. ubi postquam publici Professoris munus per viginti annos, hoc est ad 1547. obierit, Pisas ad Simplicium Medicinalium Cathedram evocatus est (*a*) ibique eodem anno, qui septimus fuit post Patavini Viridarii constructionem, Stirpium publicum Hortum omnium primus fundavit (*b*). Itaque si concivis noster Ghinus ab anno 1527. Bononiæ Simplicium Lector fuit, eodemque tempore, *in Hortis Archigymnasii Bononiensis, & Patavini edocuit Aldrovandum, & Anguillaram*, ut testatur Montalbanus (*c*) conjicere licet, extitisse Bononiense Viridarium antequam ipse Ghinus Bononia Pisas migraret. An vero Bononiensis hic Publicus Hortus exordium habuerit ante annum 1540. quo Patavinus Hortus primum natus est, an post ipsum, affirmare non audeo. Hoc unum veritati simillimum videtur, Lucam Ghinum utpote Vegetabilium studio semper addictissimum, jam inde ab eo tempore, quo munus suum præstare cepit, omnem movisse lapidem, ut virides Plantas discipulis suis publicis impensis ostenderet. Huic nostræ haud levi conjecturæ non parum favere videntur hujus Civitatis antiquitatum præclari collectores Alidosius (*d*) & Masini (*e*). Asserunt quippe, hasce Horti areas, quadras, & ferreos clathros hic constructos fuisse jam usque ab anno 1365. Hinc postea nil mirum, si ob hujusmodi Viridarii antiquitatem, & præstantiam de ipso a plurimis scriptoribus, a *Ca-*

(a) *Montalb. Minerv.* 149.
(b) *Castel. Hort. Mess. Epist. ad Lect.* 4.
(c) *Bot. Bibl.* 59.
(d) *Rer. notab. Bon.* 129.
(e) *Bon. Perlus. P.* 1. 278.

stel-

ſtello nempe, *Konichio*, *Amanno*, *Mentzelio*, *Tournefortio*, *Rajo*, ac ceteris honorifica mentio facta eſt. Relicto porro munere Botanici Profeſſoris a Luca Ghino ipſius locum occupavit ad annum uſque 1565. *Cæſar Odonus*, qui *volumen Theophraſti de Plantis ſententiarum* edidit (*a*). Poſt Odonis obitum hujus Horti, ac Botanicæ Profeſſionis cura optimo jure concredita fuit Celeberrimo Concivi noſtro *Ulyſſi Aldrovando*, qui eam uſque ad annum 1605. quo diem ſupremum obivit, præclare geſſit (*b*). Quantum vero Aldrovandus de Re Herbaria totaque Naturali Hiſtoria benemeritus fuerit, non eſt cur multis explicem. Id ſatis teſtantur ejus tot erudita volumina hactenus edita, (*c*) ejuſque inſtructiſſimum Muſeum, quod publicis Ædibus adhuc aſſervatur: declarant multa alia, nempe ultra centum manuſcripta ibidem cuſtodita, (*d*) quæ ut publicam lucem aliquando videant, toti Literato Orbi eſt in votis. Verum ut aliquid commemorem, quod Aldrovandi ætate huic Horto acciderit, minime reticebo, omnes plantas anno 1587. hic conſitas, in aliud ad Urbis mœnia non procul a Divi Stephani porta (*e*) fuiſſe translatas. Id autem factum eſt, quo poſſet extrui ſumptuoſa illa Ciſterna, quæ in medio hujus areæ conſpicua eſt. Ibidem propterea idem Aldrovandus publicas Herbarum demonſtrationes aliquot annos habuit, donec, ut ſui & diſcipulorum commodis conſuleret, eas omnes hic denuo reſtituit. Hujus Ichnographia cum omnibus ambulacris, quadris, pulvillis, atque hydrophylaciis ad calcem præſentis commentarioli oculis ſiſtetur veſtris, eamque excudendam curavi, ut, ope ipſius, atque Stirpium, quæ hic aluntur, Catalogi aliquando edendi, per numeros illis reſpondentes, qui in eadem Ichnographia depinguntur, quilibet etiam ſine præceptore Stirpium hic cultarum

(a) *Bon.* 1561.

(b) *Maſin. Bon. Perl.* p. 1. 278.

(c) *Bonon. ab anno* 1599. *ad* 1667.

(d) *Orlan. Script. Bonon.* 265.

(e) *Alid. Res Notab. Bon.* 129. *Maſin.* P. 1. 300.

co-

cognitionem assequatur. Post Aldrovandi interitum *Joannes Cornelius Uterverius Delpho-Batavus* suffectus fuit non tantum in Profess. Botanici munus, ac Horti hujusce præfecturam, sed etiam in ejusmet Aldrovandi præceptoris sui Musei custodiam, in qua non parum inclaruit ob posthuma edita volumina ejusdem Aldrovandi, quæ fuere *de Piscibus* (*a*), *de Quadrupedibus Solidipedibus* (*b*), *& de Bisulcis* (*c*). Porro circa annum 1620. extincto Uterverio, ipsius omnia munera, & Profess. Botanici, & Horti hujus præfecti, & Aldrovandi Musei custodiæ tradita fuerunt *Bartholomæo Ambrosini* in Orbe Literato satis claro ob editam *Panaceam ex herbis, quæ a Sanctis denominantur* (*d*) uti & volumina *Aldrov. de Quadrup. digitatis* (*e*) *de Serpentibus, & Draconibus* (*f*) *de Monstris* (*g*) nec non, hac ætate, perrarum *Museum Metallicum* (*h*). Tandem per quadraginta ferme annos, sat recte munere suo expleto, occubuit anno 1657. Ejus locum occupavit eodem anno *Hyacinthus Ambrosini* Bartholomæi frater dignissimus. Hic quantus Rei Herbariæ cultor fuerit palam faciunt ipsius elucubrationes, videlicet *Horti Studiosorum Catalogus* editus (*i*) eodem anno, in quo Botanici munus auspicatus fuit, & elaboratissima ipsius *Phytologia* (*k*) cujus tantum partem primam edidit, ob mortem, quæ incæptum opus perficere non permisit. Ipso autem tempore, quo præfatus Ambrosinus hasce gessit curas, Bononiæ duo alii Viri in hac re non parum inclaruerunt, *Ovidius* nempe *Montalbanus*, & *Jacobus Zanoni*; primo post Bartholomæi Ambrosini obitum concredita fuit Aldrovandi Musei custodia, in qua maxime emicuit, non tam ob publici juris factam *Dendrologiam* (*l*) ipsius Aldrovandi, quam ob pererudita sua opera ad quinquaginta circiter jam evulgata (*m*), inter quæ ad Botanicam spectant *Catalogus*

(a) *Bonō.* 1613.
(b) *Bon.* 1616.
(c) *Bon.* 1621.
(d) *Bon.* 1630.
(e) *Bon.* 1637.
(f) *Bon.* 1640.
(g) *Bon.* 1642.
(h) *Bon.* 1648.
(i) *Bon.* 1657.
(k) *Bon.* 1666.
(l) *Bon.* 1667.
(m) *Orlā. Script. Bon.* 224.

gus Plantarum exiccatarum (*a*), *Bibliotheca Botanica* (*b*), & *Hortus Botanographicus* (*c*). Quare jure merito encyclopædicus hic Clariss. noster Concivis appellatur [*d*]. Interim dum Bartholomæus Ambrosinus Botanicus Professor esset, ac Horti hujusce præfectus, Zanonus ab anno 1650. ejus custos usque ad annum 1682. quo fatis cessit, creatus est. Hic Vir doctissimus hocce Viridarium rarioribus Plantis abunde instruxit, ut testantur ipsius opera, nimirum *nota Stirpium observatarum in itinere per Bononienses Alpes instituto* publici juris facta [*e*], tum ipsius *Botanica Historia* [*f*], cujus inedita pars altera cum nitidissimis iconibus adhuc extat apud perdignos ejus nepotes una cum copioso, ornatoque ejusdem Rerum Naturalium Museo. Extincto Hyacintho Ambrosino ad annum 1665. in Botanico munere, & hujusce Horti præfectura subrogatus fuit *Joannes Baptista Capponius* vir omnigena literatura, & præsertim linguarum Orientalium instructissimus, quod tot ejus erudita scripta luculenter testantur [*g*]. Hujus quoque curæ tradita fuit post Montalbani obitum Musei Aldrovandi custodia, post quem in eodem munere inclaruerunt *D. Sylvester Bonfiolus*, deinde tot evulgatis scriptis celebratissimus *D. Gulielminus*, denique ad præsens Clariss. *D. Donellus*. Anno 1676. mortuo Capponio Cl. præcessor meus *Lælius Triumfetti* hanc ingressus provinciam, ab eo tempore ad elapsum proxime annum, videlicet ultra novem lustra tenuit. Hic quantus Vir, tum in hoc Botanico munere, tum in Horti hujus præfectura extiterit, non est, Auditores, cur prolixe exponam, cum ejus doctrina Vestrum animis, ut mihi persuadeo, adhuc insideat. Memineritis etiam de ejus *Indiculo* triginta Plantarum nomina complectente, quas ut novas fratri suo Joanni Baptistæ anno 1684. communicavit, qui

eum

(a) *Bonon.* 1624.
(b) *Bon.* 1657.
(c) *Bon.* 1660.
(d) *Bibl. Aprof.* 68.
(e) *Bon.* 1652.
(f) *Bon.* 1675.
(g) *Orlã. Scrip. Bonon.* 153.

eum poſtea Indiculum ſuis junctum *obſervationibus de Ortu, & Vegetatione Plantarum* (*a*) typis evulgavit. (a) *Rom. 1685. p. 64.*

Expoſitis demum iis omnibus, quæ non parum conferunt ad hujus inclytæ Studiorum Matris, ejuſque Archigymnaſii, ac Botanici Horti decus, non abs re fore duxi obiter quoque demonſtrare, quam falſa ſint nonnulla, quæ in hujus commentarioli collectione, dum plurima Botanicorum ſcripta evolverem, adnotavi. Primum enim apud Dominicum Vignam (*b*) reperio, Lucam Ghinum non Bononienſem, ſed Senenſem civem fuiſſe. Quod quidem quam falſum ſit, non modo oſtendunt concivium noſtrorum Hiſtoriæ, ſed ex ipſis Mathioli Senenſis operibus evincitur. Nam in ipſius Epiſtola nuncupatoria, ut in altera libri tertii ſuarum epiſtolarum (*c*) cuidam Georgio Mario conſcripta liquet, Lucam Ghinum Bononienſem, non autem Senenſem fuiſſe, quanquam minime ſit inficiandum, eundem natales ſuos Foro Cornelii habuiſſe, dein inter cives Bononienſes receptum, ut teſtatur Montalbanus (*d*). Porro longe magis a veritate abhorret id quod ſcriptis mandavit de Ulyſſe Aldrovando Merklinus (*e*) nempe ipſum *Aldrovandum propter ingentes ſumptus factos in exculpendis iconibus ſuorum operum, ad extremam paupertatem redactum, viſuque orbatum, in Xenodochio Bononienſi obiiſſe.* Hunc ego falſum rumorem plurimis argumentis refellere ſuperfluum duco. Nam in primis non ne Vos omnes perſpectum habetis quanto amore, omni tempore, Ampliſſimus Senatus Bononienſis, quantoque ſtudio quoſcunque literatos Viros amplectatur? Non ne teſtis eſt ipſa Aldrovandi conjux, quæ anno 1606. poſt dilectiſſimi Viri mortem adhuc mœſtiſſima, proprio ære typis evulgavit ejus volumen de Cruſtaceis (*f*), & in nuncupatoria Epiſtola Nobiliſſimi, & Excelſi Senatus clientelam, ſummamque gratitudinem

(b) *Animad. in Theoph. præf. p. 2.*

(c) *p. m. 118.*

(d) *Minervaliæ 149.*

(e) *Lindē. renov. 1047.*

(f) *Bon. edit. 1606.*

nem

nem disertis verbis declaravit: *Vos enim* [sic ipsa Senatum alloquitur] *cum vires mei Conjugis tot impensis, ac sumptibus plane essent impares, illum præ ceteris civibus, omni semper favore, honoribus, atque suppetiis, pro Vestra singulari benevolentia, fovistis:* Quæ verba quemadmodum apud me, Vosque omnes Aldrovandi Concives ad falsitatis coarguendum præfatum Merklinum maxime valent, ita plurimum quoque valuerunt apud Clariss. Garidellum (*a*), qui in recensione scriptorum suæ Plantarum Provinciæ Historiæ præfixa, quatuor ab hinc annis Gallico sermone editæ, affirmat, se, quod olim audiverat de Aldrovandi nostri egestate, nunquam fide dignum existimasse. Re enim vera, quis unquam credet, Aldrovandum illum Patritium Bononiensem, Publicum Archigymnasii Professorem, Doctorem Collegiatum, Nobilissimi Senatoris Comitis Pompei Aldrovandi consanguineum (*b*) a Senatu ipso, imo ab ipsa Nobilissima Domo sua fuisse derelictum? Verum procul hæc figmenta, & perpetuo involvantur silentio quæcunque de Ulysse illo Aldrovando *Naturæ Miraculo*, ut Anguisolæ verbis utar (*c*) Viro nempe omni immortalitate dignissimo nimis leviter, & a veritate aliena præfatus auctor memoravit.

(a) *Hist. des Plât. XLVI.*

(b) *Aldrovand. Ornith. T. 1. Bon. edit. 1681. p. 218.*

(c) *Comp. Simp. Medic. 18.*

Atque hæc mihi erant dicenda, cum ad Patriam Gloriam duorum Concivium Ghini, & Aldrovandi a falsis assertionibus vindicandam, tum ad augendam Bononiensis Horti, ejusque Professorum Historiam. Hactenus enim probavimus, magnam Academiæ Bononiensi laudem tribuendam, quod *Crescentium* habuerit, primum nempe, qui in Europa de plantis aliquid ediderit; quod deinde in primis numerare possit *Lucam Ghinum*, qui Cathedræ Simplicium Medicinalium in Archigymnasio, & Horti hujus Botanici promotor fuit; qui deinde Pisas petiit, ibi-

ibique primo publicum Botanicum Hortum constituit; qui fuit Ulyssis Aldrovandi Bononiensis, Anguillaræ tertii Patavini Professoris, & Cæsalpini præceptor; qui post hujus mortem Pisis Botanicam docuit: has, inquam, laudes in nostram Academiam conferendas probavimus, tum præterea has alias, Celeberr. nempe *Joann. Bauhinum* fuisse Aldrovandi nostri discipulum (*a*) uti ejusdem alumni fuere *Anguisola* (*b*), & *VVorstius* in perillustri Academia Lugduno-Batava Rei Herbariæ Professor; denique eandem nostram Academiam *D. Joann. Baptistam Triumfetti* ad Universitatem Sapientiæ Romanæ Botanicum misisse, præter eos, quos habuit in proprio Archilyceo magistros, *Ghinum*, puta, *Odonum*, *Aldrovandum*, *Uterverium*, *Fratres Bartholomæum*, ac *Hyacinthum Ambrosini*, *Capponium*, & *Lelium Triumfetti*; quorum laboribus hic Hortus summum omni tempore honorem est consecutus, de quo plurimi honorifice mentionem fecerunt, quique, quantum ad antiquitatis præstantiam, jure merito cum quoque alio est comparandus.

(a) *Joann. Bauh. de Pl. a Sãctis denomin.* 12.

(b) *Angu. Simpl. comp.* 18.

Quis igitur ex vobis de tot nostrorum Concivium præstantia, de hujusce Archilycei Medici Horti antiquitate, nec non de Amplissimi Senatus in quovis Literarum genere, amore, patrocinio, atque munificentia secum cogitans, summo studii desiderio, atque jucunditate non afficiatur? Verum, quo Vos omnes lætiores intueor, eo majori premor sollicitudine, dum tot virorum, qui me in hoc officio præcesserunt summæ laudes meæ me tenuitatis admonent ad hanc provinciam pro Vestris meritis, pro Rei dignitate, pro Excelsi Senatus magnitudine obeundam. Quod itaque mearum virium imbecillitas non perficiet, id rependet saltem animi promptitudo, atque desiderium, quo pro decora hujus Viridarii

con-

conſervatione, atque incremento omni conatu contendam; rependet eximia liberalitas omnium Botanices Profeſſorum non duntaxat noſtræ Italiæ, ſed Hollandiæ, Angliæ, Galliæ, & Germaniæ, qui omnes ob eam, quæ inter nos intercedit officioſam viciſſitudinem, & Semina, & Plantas exoticas undique certatim promittunt, pro hujuſmet Horti ampliatione; rependet Nobiliſſimus, atque Excelſus Senatus, uti Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Doctores Collegiati, ac Excelſi Patriæ Patres Syndici, Aſſumpti Bononienſis magni Vectigalis, nec non hujuſce Publici Viridarii Moderatores Ampliſſimi, æque ac Vigilantiſſimi, a quorum ſedulitate, atque prudentia omnia ea ſubſidia mihi polliceor, quæ ad mea adimplenda vota requiruntur, rependet denique, Auditores, eximia Veſtra humanitas, qua ſicuti hucuſque prolixam, inconditamque dictionem meam patienter audiviſtis, ita eſt cur ſperem, in poſterum quæque mea in his ſtudiis conamina æquo animo toleraturos.

FINIS.

PLANTARUM GENERA

A BOTANICIS INSTITUTA

JUXTA TOURNEFORTII METHODUM

Ad proprias Classes relata.

BOTANICES
Studio addictis.

QUantum Rei Herbariæ ſtudium profecerit, quantumque incrementi, ad hanc uſque ætatem, cæperit, quilibet haud difficulter ex hoc Generum Plantarum noſtro Indice, unico ferme oculorum obtutu, aſſequetur. In hoc enim enumerantur præter ſeptingenta ferme Stirpium Genera a Clariſſimo Tournefortio characteriſticis notis illuſtrata, plurima alia a variis Botanicis conſtituta, poſt editam ſummi illius Viri egregiam Rei Herbariæ Inſtitutionem ad cujus quidem leges Indicem hunc quem Vobis, Solertiſſimi Botanices Studioſi, modo exhibeo, ut redigerem pro virili elaboravi. Hujuſmodi vero Index, ſiquidem totam exhibet materiam, in qua verſatur Herbarum ſtudium, ita quin emolumento ſit futurus iis præſertim, qui accedere ſolent ad Plantarum demonſtrationes, quæ quotannis habentur in Bononienſi Publico Horto, haud dubitamus. Etenim ex his Generum Claſſibus unuſquiſque non tantum Stirpium ſummas notas characteriſticas a florum ſtructura petitas, quas in eodem Horto demonſtrabimus, percipiet, verum etiam tum qualia horum Generum Plantarum rem Medicam facientibus opem ſuppeditent, tum apud quos ſcriptores ſingulorum generum variæ ſpecies ſint deſcriptæ; quod quidem ex aſteriſcis, & numeris iis præfixis percommode dignoſcetur. Generum porro nomina, quæ nulla ſcriptorum nota obſignata cernuntur, ea ſunt, quæ a nobis tanquam diſtincta Genera indicabuntur, non quod re vera chara-

cteristicis notis a ceteris diversis gaudeant, sed quia, cum jam invaluerit in officinis consuetudo hujusmodi nominibus ipsa distinguendi, oportuit super hac re a Tournefortii sententia paulisper discedere. Hic siquidem hasce plantas ad alia officinalium genera referre consultum putavit: Hederam, exempli caussa, terrestrem appellavit Calamintham, Dictamnum Creticum Origanum, Scordium Chamædryum, & hujusmodi plura; quæ etsi ob ipsarum notas specificas ita jure merito fuerint vocatæ, nihilominus, cum id negotium facessere semper nobis visum fuerit iis maxime, qui cum Medicæ tum Pharmaceuticæ arti operam navant, indigentque stirpes dignoscere nominibus per quæ a scriptoribus designantur, non multum a ratione alienum putavimus, ab ejusdem Clarissimi Viri institutis Generibus nonnullas sejungere ex illis, quæ in usum magis recipiuntur. Quod eo libentius fecimus, quo hoc peragendo nec fecimus contra Botanicorum regulas, nec contra ipsum Tournefortium, qui ex Meo, Arundine, Napo, ac ceteris distincta constituit Genera, quamvis iis esse easdem specificas notas Fœniculi, Graminis, Rapæ, ac ceterarum, ipse fassus fuerit. Hocce igitur tenui conatu interim fruimini, Botanices Tyrones, nostrisque Plantarum demonstrationibus interesse non pigeat; cum ex ipsis, quali quantoque præterea usu futurus sit hicce Generum Index, tum Vestro, tum nostro etiam conscriptus commodo, in posterum Vos ipsos judicaturos arbitremur.

NO-

NOTÆ COMPENDIARIÆ

Ita intelligi debent.

A. R. P. *Academiæ Regiæ Parisiensis Memoriæ, & Commentaria, Parisiis quotannis edita in 4. Gallico sermone.*

B. *Hermanni Boerhaave Index alter Plantarum Horti Lugduno-Batavi, cujus extat Pars prima, & secunda, Lugd. Batav.* 1720. *in* 4.

D. *Joh. Jac. Dillenii Appendix ad Catalogum Plantarum sponte circa Gissam nascentiū. Francofurti* 1719. *in* 12.

N. *Nobis in Prodromo Catalogi stirpium Agri Bonon. Boloniæ* 1719. *in* 4.

Pet. *Petri Petit Epistolæ Gallico sermone editæ. Namurci* 1710. *in* 4.

P. *Caroli Plumier Nova Plantarum Americanarum Genera. Parisiis* 1703. *in* 4.

Pont. Anth. *Julii Pontederæ Anthologia, Patavii* 1720. *in* 4.

Pont. Diss. *Ejusdem Dissertationes Botanicæ, ibidem, Anno eodem, eademque forma.*

Pont. Epist. *Ejusdem Epistola una cum Compendio Tabularum Botanicarum. Patavii* 1718. *in* 4.

Rupp. *Henr. Bernh. Ruppii Flora Jenensis, Francofurti* 1718. *in* 12.

Sch. *Joannis Scheuchzeri Agrostographia. Tiguri* 1719. *in* 4.

T. *Josephi Pitton Tournefort Institutiones Rei Herbariæ. Parisiis* 1720. *in* 4.

T. App. *Ejusdem Appendix ad Inst. Rei Herb. ibidem.*

T. C. *Ejusdem Corollarium Inst. Rei Herb. ibidem* 1703. *in* 4.

V. *Sebastiani Vaillant Sermo de structura Florum, Lugd. Batav.* 1718. *in* 4.

*Hic Asteriscus * præfigitur iis Plantarum Generibus, quæ ad medicos usus referri solent.*

PLAN-

PLANTARUM GENERA

A Botanicis constituta hactenus

Juxta TOURNEFORTII Methodum ad proprias Classes relata.

CLASSIS I.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore monopetalo Campaniformi.

GENUS.

* 1 Mandragora T. 76.
* 2 Belladona T. 77.
* 3 Lilium convallium T. 77.
* 4 Polygonatum T. 78.
5 Linophyllum Pont. Anth. 261.
6 Sherardia Pont. Ep. XIV.
7 Jasminoides A.R.P. 1711. D. 159.
8 Passarina Pont. Anth. 264.
* 9 Ruscus T. 79.
* 10 Laurus Alexandrina.
* 11 Hippoglossum.
* 12 Cerinthe T. 79.
13 Cerinthoides B. 196.
* 14 Gentiana T. 80.
15 Hydrophyllon T. 81.
* 16 Soldanella alpina T. 82.
* 17 Soldanella maritima.
* 18 Convolvulus T. 82.
* 19 Tithymalus T. 85.
* 20 Lathyris.
* 21 Euphorbium B. 258.
22 Tithymaloides T. App. 654.
23 Glaux T. 88.
24 Hottonia B. 206.
* 25 Oxys T. 88.
* 26 Rhabarbarum Moscov. T. 89.
* 27 Cotyledon T. 90.
* 28 Apocynum T. 91.
* 29 Periploca T. 93.
* 30 Asclepias T. 93.
* 31 Malva T. 94.
* 32 Althæa T. 97.
* 33 Alcea T. 97.
34 Lavatera A.R.P. 1706. 86. D. 155.
35 Malacoides T. 98.
* 36 Abutilon T. 99.
37 Ketmia T. 99.
* 38 Xylon T. 101.
* 39 Bryonia T. 102.
* 40 Tamnus T. 102.
41 Sicyoides T. 103.
* 42 Momordica T. 103.
43 Luffa A.R.P. 1706. 84. D. 156.
* 44 Cucumis T. 104.

45 Ela-

* 45 Elaterium B. 2. 77.
* 46 Melo T. 104.
* 47 Pepo T. 105.
* 48 Melopepo T. 106.
* 49 Anguria T. 106.
* 50 Cucurbita T. 107.
* 51 Colocynthis T. 107.
* 52 Campanula T. 108.
* 53 Rapunculus T. 113.
* 54 Rubia T. 113.
* 55 Aparine T. 114.
* 56 Gallium T. 114.
57 Mollugo B. 148.
* 58 Cruciata T. 115.
* 59 Aſperula B. 149.
60 Valantia A.R.P. 1705. 311. D. 147.
* 61 Chamælea T. App. 651.
* 62 Cuſcuta T. App. 652.
63 Melocactus T. App. 653.
64 Genipa T. App. 658.
65 Manihot T. App. 658.
66 Hypociſtis T. C. 46.
67 Ficoides A.R.P. 1705. 238. Meſembryanthemum D. 148.
68 Borbonia P. 3.
69 Pittonia P. 5.
70 Broſſæa P. 5.
71 Ximenia P. 6.
72 Hernandia P. 6.
73 Piſonia P. 7.
74 Marcgravia P. 7.
75 Coa P. 8.
76 Ereſia P. 8.
77 Dioſcorea P. 9.
78 Plinia P. 9.
79 Cainito P. 9.
80 Caraguata P. 10.
81 Lonicera P. 17.
82 Sloana P. 48.

CLASSIS II.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore monopetalo Infundibuliformi, & Rotato.

83 Quamoclit T. 116.
* 84 Menyanthes T. 117.
* 85 Nicotiana T. 117.
* 86 Hyoſcyamus T. 117.
* 87 Stramonium T. 118.
* 88 Pervinca T. 119.
* 89 Auricula Urſi T. 120.
* 90 Cortuſa B. 206.
* 91 Centaurium minus T. 122.
* 92 Androſace T. 123.
* 93 Primulaveris T. 124.
* 94 Plantago T. 126.
95 Plantaginella D. 113.
* 96 Coronopus T. 128.
* 97 Pſyllium T. 128.
98 Jalapa T. 129.
99 Rubeola T. 130.
100 Sherardia D. 96.
101 Trachelium T. 130.
* 102 Valeriana T. 131.
103 Ocimaſtrum Pont. Anth. 246.
* 104 Valerianella T. 132.
105 Tournefortia Pōt. Epiſt. XI.
106 Boheraavia V. 51.
* 107 Borrago T. 133.
108 Borraginoides B. 188.
* 109 Bugloſſum T. 133.
* 110 Anchuſa.
111 Aſperugo T. 135.
* 112 Echium T. 135.
113 Echioides T. C. 46.
* 114 Pulmonaria T. 136.
* 115 Lithoſpermum T. 137.
116 Myoſotis D. 99.

*117 Symphytum T. 138.
*118 Heliotropium T. 138.
*119 Cynoglossum T. 139.
120 Omphalodes T. 140.
*121 Plumbago T. 140.
122 Centunculus D. 111.
123 Diervilla A.R.P. 1706. 85. D. 154.
124 Ananas T. App. 653.
125 Ahovai T. App. 657.
126 Acajou T. App. 658.
127 Plumeria T. App. 659.
*128 Lysimachia T. 141.
*129 Nummularia B. 203.
*130 Anagallis T. 142.
*131 Samolus T. 143.
*132 Veronica T. 143.
*133 Chrysosplenium T. 146.
134 Polemonium T. 146.
*135 Verbascum T. 146.
*136 Blattaria T. 147.
137 Trientalis Rupp. 20.
*138 Solanum T. 148.
*139 Lycopersicon T. 150.
*140 Alkekengi T. 150.
*141 Melongena T. 151.
*142 Capsicum T. 152.
143 Nymphoides T. 153.
*144 Cyclamen T. 154.
145 Moschatellina T. 156.
*146 Ebulus Pont. Anth. 270.
*147 Pimpinella T. 156.
148 Samoloides B. 2. 265.
149 Polygonoides T. C. 47.
150 Karatas P. 10.
151 Arapabaca P. 10.
152 Rojoc P. 11.
153 Valdia P. 11.
154 Ruellia P. 12.
155 Brunsfelsia P. 12.
156 Inga P. 13.
157 Mangles P. 13.
158 Cordia P. 13.
159 Tragia P. 14.
160 Fuchsia P. 14.
161 Rondeletia P. 15.
162 Turnera P. 15.
163 Mathiola P. 16.
164 Maranta P. 16.
165 Dalechampia P. 17.
166 Tabernamontana P. 18.
167 Cameraria P. 18.
168 Rauvolfia P. 19.
169 Bellonia P. 19.
170 Nhandiroba P. 20.
171 Dodonæa P. 20.
172 Clusia P. 20.

CLASSIS III.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore monopetalo Anomalo.

*173 Arum T. 158.
174 Arioides B. 2. 74.
175 Colocasia B. 2. 73.
*176 Dracunculus T. 160.
*177 Arisarum T. 161.
*178 Aristolochia T. 162.
179 Myosuron D. 106. B. 2. 102.
180 Rapuntium T. 163.
181 Bignonia T. 164.
*182 Digitalis T. 165.
*183 Sesamum B. 318.
*184 Gratiola.
*185 Scrophularia T. 166.
*186 Pinguicula T. 167.
*187 Antirrhinum T. 167.
*188 Linaria T. 168.
*189 Cymbalaria.
*190 Elatine D. 116.

191 Afarina T. 171.
192 Pedicularis T. 171.
193 Crifta Galli D. 117.
194 Odontites D. 117.
195 Melampyrum T. 173.
196 Triphylloides Pont. 241.
*197 Euphrafia T. 174.
198 Sherardia V. 47.
*199 Polygala T. 174.
200 Ageratum T. App. 651.
201 Adhatoda T. 175.
202 Orobanche T. 175.
203 Anblatum T. C. 48.
*204 Acanthus T. 176.
205 Coris T. App. 652.
206 Clandeftina T. App. 652.
207 Phelypæa T. C. 47.
208 Dodartia T. C. 47.
209 Morina T. C. 48.
210 Elephas T. C. 48.
211 Cameraria D. 114.
212 Lentibularia D. 115.
213 Chelone A. R. P. 1706. 85. D. 157.
214 Lobelia P. 21.
215 Penæa P. 22.
216 Cujete P. 23.
217 Ifora P. 24.
218 Alpina P. 26.
219 Gefnera P. 27.
220 Columnea P. 28.
221 Cæfalpina P. 28.
222 Besleria P. 29.
223 Dorftenia P. 29.
224 Kodda-pail P. 30.
225 Caftorea P. 30.
226 Gerardia P. 30.
227 Barleria P. 31.
228 Camara P. 31.
229 Bontia P. 32.
230 Cornutia P. 32.

CLASSIS IV.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore monopetalo Labiato.

*231 Phlomis T. 177.
*232 Horminum T. 178.
*233 Sclarea T. 179.
*234 Aethiopis.
*235 Salvia T. 180.
236 Dracocephalon T. 181.
*237 Caffida T. 181.
*238 Tertianaria.
*239 Brunella T. 182.
*240 Lamium T. 183.
241 Moldavica T. 184.
*242 Ballote T. 184.
*243 Galeopfis T. 185.
244 Galeobdolon D. 103.
*245 Stachys T. 186.
*246 Cardiaca T. 186.
247 Leonurus T. 187.
248 Molucca T. 187.
249 Pfeudodictamnus T. 188.
*250 Mentha T. 188.
*251 Pulegium B. 186.
252 Marrubiaftrum T. 190.
*253 Lycopus T. 190.
254 Ruyfchiana B. 172.
255 Sideritis T. 191.
*256 Tetrahit D. 103.
*257 Marrubium T. 192.
*258 Meliffa T. 193.
*259 Calamintha T. 193.
*260 Hedera terreftris.
*261 Clinopodium T. 194.
262 Acinos D. 104. B. 176.
*263 Rofmarinus T. 195.
*264 Thymus T. 196.
*265 Serpillum T. 196.
*266 Satureja T. 197.

267 Thymbra T. 197.
268 Maſtichina B. 156.
*269 Lavandula T. 198.
*270 Origanum T. 198.
*271 Dictamnus B. 178.
*272 Majorana T. 199.
*273 Verbena T. 200.
*274 Hyſſopus T. 200.
*275 Stoechas T. 201.
*276 Cataria T. 202.
*277 Betonica T. 202.
278 Alopecuros Pont. Diſſ. 252.
*279 Ocimum T. 203.
*280 Chamædrys T. 204.
*281 Scordium B. 183.
*282 Scorodonia.
*283 Marum B. 182.
284 Iva D. 102.
*285 Polium T. 206.
*286 Teucrium T. 207.
*287 Chamæpitys T. 208.
*288 Bugula T. 208.

CLASSIS V.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore polypetalo Cruciformi.

289 Jonthlaſpi T. 210.
*290 Rapiſtrum T. 210.
291 Myagrum T. 211.
*292 Iſatis T. 211.
293 Crambe T. 211.
*294 Thlaſpi T. 212.
*295 Iberis D. 123.
*296 Naſturtium T. 213.
297 Thlaſpidium T. 214.
*298 Cochlearia T. 215.
*299 Armoracia.
*300 Lepidium T. 215.
*301 Arabis.
*302 Burſa Paſtoris T. 216.
303 Alyſſon T. 216.
304 Draba D. 122.
305 Alyſſoides T. 218.
*306 Lunaria T. 218.
*307 Braſſica T. 219.
*308 Leucojum T. 220.
*309 Heſperis T. 222.
*310 Alliaria.
311 Turritis T. 223.
*312 Cardamine T. 224.
*313 Dentaria T. 225.
*314 Siſymbrium T. 225.
*315 Barbarea.
*316 Sophia.
317 Radicula D. 121.
*318 Eruca T. 226.
*319 Sinapi T. 227.
*320 Eryſimum T. 228.
*321 Rapa T. 228.
*322 Napus T. 229.
*323 Raphanus T. 229.
324 Rhaphaniſtrum T. 230.
325 Cakile T. C. 49.
326 Hypecoum T. 230.
*327 Chelidonium T. 231.
328 Sinapiſtrum T. 231.
*329 Epimedium T. 232.
330 Erucago T. 232.
*331 Potamogeton T. 232.
*332 Herba Paris T. 233.
333 Veſicaria T. C. 49.
334 Petiveria P. 50.

CLASSIS VI.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore polypetalo Roſaceo.

*335 Amaranthus T. 234.

*336 Portulaca T. 236.
*337 Papaver T. 237.
338 Argemone T. 239.
339 Anapodophyllon T. 239.
*340 Opuntia T. 239.
341 Granadilla T. 240.
342 Murucuja T. 241.
343 Mitella T. 241.
*344 Alſine T. 243.
345 Alſinella D. 124.
346 Alſinaſtrum T. 244.
347 Myoſotis T. 244.
348 Holoſteum D. 130.
349 Spergula D. 131.
*350 Ros Solis T. 245.
*351 Parnaſſia T. 246.
352 Juncus T. 246.
353 Juncoides D. 166.
*354 Kali T. 247.
*355 Tribuloides T. App. 655.
356 Echinophora T. App. 656.
*357 Telephium T. 248.
*358 Helianthemum T. 248.
*359 Androſæmum T. 251.
360 Oxycoccus T. App. 655.
361 Geum T. 251.
362 Saxifraga T. 252.
*363 Salicaria T. 253.
364 Portula D. 133.
365 Glaucium T. 254.
*366 Hypericum T. 254.
*367 Aſcyrum T. 256.
368 Hermania T. App. 656.
*369 Pyrola T. 256.
370 Radiola D. 126.
371 Hypopitys D. 134. Orobanchoides A. R. P. 1706.
372 Damaſonium T. 256.
*373 Ruta T. 257.
*374 Harmala T. 257.
*375 Nigella T. 258.
376 Garidella T. App. 655.
377 Fabago T. 258.
378 Corchorus T. 259.
379 Ciſtus T. 259.
*380 Nymphæa T. 260.
381 Morſus Ranæ A.R.P. 1705 237. Stratiotes D. 149.
*382 Aloides B. 2. 132.
383 Pentapterophyllon D. 125.
384 Telephioides T. C. 50.
385 Nelumbo T. 261.
*386 Capparis T. 261.
*387 Sedum T. 262.
*388 Cepæa.
*389 Anacampſeros T. 264.
*390 Rhodia Radix.
*391 Ulmaria T. 265.
*392 Barba Capræ T. 265.
393 Fagonia T. 265.
*394 Tribulus T. 265.
395 Juncago T. 266.
*396 Geranium T. 266.
*397 Thalictrum T. 270.
*398 Butomus T. 271.
*399 Helleborus T. 271.
*400 Veratrum T. 272.
401 Populago T. 273.
*402 Pæonia T. 273.
*403 Anemone T. 275.
404 Anemonoides D. 107. B. 36
405 Anemone-Ranunculus D. 107.
*406 Pulſatilla T. 284.
*407 Ranunculus T. 285.
408 Adonis D. 109. B. 35.
*409 Chelidonium minus B. 29. Ficaria D. 108.
*410 Hepatica trifolia B. 29. D. 108.
411 Plantago aquatica B. 45.

Alisma D. 105.
412 Sagitta D. 104. B. 45.
*413 Filipendula T. 293.
*414 Clematitis T. 293.
415 Viticella D. 165.
*416 Caryophyllata T. 294.
*417 Fragaria T. 295.
*418 Fragaria sterilis B. 42. Comaroides Pont. Anth. 289.
*419 Quinquefolium T. 296.
*420 Tormentilla T. 298.
421 Pentaphylloides T. 298.
*422 Potentilla.
423 Corrigiola D. 169.
424 Polygonifolia D. 95.
425 Corispermum A. R. P. 1712. 187. D. 160.
426 Christophoriana T. 299.
427 Phytolacca T. 299.
428 Aralia T. 300.
429 Araliastrum V. 41.
*430 Asparagus T. 300.
*431 Smilax T. App. 654.
*432 Unifolium D. 138.
433 Menispermum A. R. P. 1705. 237. D. 150.
434 Cuminoides T. 300.
435 Circæa T. 301.
*436 Agrimonia T. 301.
437 Agrimonoides T. 301.
438 Onagra T. 302.
439 Chamænerion T. 302.
440 Ricinoides T. App. 655.
*441 Leontopetalon T. C. 49.
442 Solanoides A. R. P. 1706. 87. D. 153.
443 Sarracena T. App. 657.
444 Caapeba P. 33.
445 Jan-Raja P. 33.
446 Cururu P. 34.
447 Seriania P. 34.
448 Pereskia P. 35.
449 Bocconia P. 35.
450 Guazuma P. 36.
451 Morisona P. 36.
452 Suriana P. 37.
453 Renalmia P. 37.
454 Zanonia P. 38.
455 Magnolia P. 38.
456 Calaba P. 39.
457 Breynia P. 39.
458 Triumfetta P. 40.
459 Mentzelia P. 40.
460 Muntingia P. 41.
461 Jabotapita P. 41.
462 Ceiba P. 42.
463 Oldendlandia P. 42.
464 Guanabanus P. 42.
465 Sapota P. 43.
466 Icaco P. 43.
467 Mamei P. 44.
468 Monbin P. 44.
469 Persea P. 44.
470 Cupania P. 45.
471 Vanrheedia P. 45.
472 Malpighia P. 46.
473 Bromelia P. 46.
474 Pluknetia P. 47.
475 Rivina P. 47.

CLASSIS VII.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore polypetalo Rosaceo Umbellato.

*476 Ammi T. 304.
477 Falcaria D. 98.
*478 Apium T. 305.
*479 Anisum.
*480 Cicuta T. 306.

*481 Carvi T. 306.
*482 Phellandrium T. 306.
*483 Bulbocaſtanum T. 307.
*484 Daucus T. 307.
*485 Sium T. 308.
*486 Siſon.
*487 Siſarum T. 308.
*488 Tragoſelinum T. 309.
*489 Bupleurum T. 309.
*490 Perfoliata B. 72.
491 Bupleuroides B. 71.
*492 Fœniculum T. 311.
*493 Viſnaga B. 49.
494 Ammoides B. 49.
*495 Cuminum B. 49.
496 Seſeli B. 50.
497 Silaum B. 51.
*498 Meum T. 312.
499 Oenanthe T. 312.
*500 Podagraria D. 99.
501 Aſtrantia T. 314.
*502 Chærophyllum T. 314.
*503 Myrrhis T. 315.
*504 Smyrnium T. 315.
*505 Coriandrum T. 316.
*506 Imperatoria T. 316.
*507 Angelica B. 53.
*508 Crithmum T. 317.
*509 Anethum T. 317.
*510 Peucedanum T. 318.
*511 Oreoſelinum T. 318.
*512 Thyſſelinum T. 319.
*513 Paſtinaca T. 319.
*514 Sphondylium T. 319.
*515 Tordylium T. 320.
*516 Ferula T. 321.
*517 Thapſia T. 321.
518 Gingidiũ Pont. Anth. 297.
519 Cicutaria T. 322.
*520 Caucalis T. 323.
*521 Liguſticum T. 323.
522 Siler B. 52.
523 Laſerpitium T. 324.
524 Cachrys T. 325.
*525 Scandix T. 326.
*526 Sanicula T. 326.
*527 Eryngium T. 327.
528 Hydrocotyle T. 328.

CLASSIS VIII.

HERBÆ ET FUFFRUTICES

Flore polypetalo Caryophylleo.

*529 Caryophyllus T. 329.
*530 Lychnis T. 333.
*531 Saponaria.
532 Cucubalus T. 339.
*533 Linum T. 339.
534 Statice T. 341.
*535 Limonium T. 341.

CLASSIS IX.

HERBÆ ET SUFFRUTICES

Flore Liliaceo in aliquibus monopetalo, in aliis polypetalo.

Flore Monopetalo.

*536 Aſphodelus T. 343.
537 Lilio-Aſphodelus T. 344.
*538 Hyacinthus T. 345.
539 Hyacinthus tuberoſus B. 3. 114.
*540 Muſcari T. 347.
541 Colchicum T. 348.
*542 Crocus T. 350.
*543 Narciſſus T. 353.
544 Hæmanthus T. App. 657.

545 Bulbocodium T. C. 50.
*546 Iris T. 358.
*547 Xyris.
548 Xiphion T. 362.
549 Hermodactylus T. C. 50.
550 Siſyrinchium T. 365.
*551 Gladiolus T. 365.
*552 Aloe T. 366.
553 Yuca D. 111. B. 2. 132. Pont. Anth. 294.
554 Cannacorus T. 367.
*555 Galanga B. 2. 128.
556 Bihai P. 50.

Flore polypetalo.

557 Ephemerum T. 367.
558 Commelina P. 48.
*559 Phalangium T. 368.
560 Liliaſtrum T. 369.
*561 Lilium T. 369.
562 Lilio-Hyacinthus T. 371.
